

DA TI UMREŠ — SI DECESSISSES DE VITA

(Pero Popov)

Si decessisses de vita tu, mea virgo  
Omnes effugerent insulae abhinc Hadriáe  
Et varii flores languerent ac fluviorum  
Ferrem saevorum tristitiam per aquas.

Si decessisses de vita tu, mea virgo,  
Aetas altera tunc inciperet glaciei.  
Essent messes exiguae fierentque paludes  
Limosae priscis omnibus ex maribus.

Si decessisses de vita tu, mea virgo,  
Mundi contemptór atque vagans fierem.  
Usque dolore meo pressus tum tempore nullo  
Régrederér rursus huc, ubi nunc amo te.

Scriberet amplius haud manus haec mea carmina prorsus  
Nec posthac ullum funderem ab ore melos.  
Continuo fugerem volucrum iam cum grege primo,  
Ut numquam rursus régrederér iterum.

*Ljubljana.*

Vertit: *S. Kopriva.*

ZAŠTO MI SE SRDIŠ, LIBE? — CUR IRASCERIS MI, CARE?

(Carmen popolare Makedonicum)

„Care, cur irasceris  
Mi nec ad me devenis?  
Care, non equus tibi est?  
Noscis ad me non viam?“

Hoc succenseo tibi  
Nec te, cara, visito,  
Cara, quod tecum simul  
Stabant puberes duo.

„Est equus, percara, mi,  
Nosco tres ad te vias!  
Sed succenseo tibi  
Vesperum, qui fuit heri.

Puber unus praebuit,  
Cara, dexteram tibi,  
Puber alter, cara mi,  
Anulum tibi dedit.“

*Ljubljana.*

Vertit: *S. Kopriva.*